

...IT OIVM
...K.









1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.



30. De Constantia et inconstantia ad regulas rectae
rationis et mentem Senecae. P. C. Thomasi.
31. De Jure primariarum precum. J. E. Mayer.



23.

DISSERTATIO
DE
JURE FERETRI
Sive
CRUENTATIONIS

Vom

Baar Rechte /

Quam

PRAESIDE

PETRO MÜLLERO,

U. J. D. & Prof. Publ.

*Publico eruditorum examini subjevit
ad diem Augusti 1680.*

CHRISTIANUS CONR. OELSNER,

Martisb. Philos. Mag.

Recusa JENÆ, Literis Müllerianis, 1688.



1
2
Dissertatio
de
IURIFERETRI

GRUENTATIONIS

PRÆTORII

PETRO MÜLLERO

CHRISTIANUS KÖNIG

LEIPZIGI





PROŒMIUM.



Varios Credulæ Antiquitatis innocentiam probandi fuisse modos, hinc inde ex historiarum constat monumentis. Servus olim de crimine furti, facti aliàs natura turpis *l. 42. ff. d. V. S.* suspectus legibus jubebatur vel juramento vel igniti ferri judicio sese purgare. Legibus Longobardorum cautum erat, ut homicidii insimulatus, super novem vomeres igne candentes ambulare teneretur. Multis in locis receptus mos fuit per prunas experiri reatum, quidam nudis pedibus per eas ibant, alii in sinum & super corpus detectum eas injiciebant. Etiam rei veritatem per aquam inquirere sustinebant Veteres, mox calidam, mox frigidam. Calidæ experimentum multis precibus ceremoniisque aggressi sunt secundum Delrionem *lib. 4. c. 4. qu. 4. sect. 4.* adhibuere interdum crucem, modo librum Evangeliorum, nunc in templis exutis vestimentis propriis, induebant vestimenta munda sacra ædi sacra, benedicebant Sacerdotes aquæ, ne innoxii noceret, plurimis etiam precibus accusatos præibant: præmissis præmittendis annulus vel lapillus aquæ fervidissimæ injiciebatur, si eximi potuerat sine noxa, accusatus ab omnibus habebatur innoxius. Frigida etiam prodi reos aqua, arbitrati sunt, hodieque in quibusdam locis arbitrantur: nam si quæ ob artem Magicam suspecta in vincula detruditur, ejusdem innocentia

tia sequenti modo probatur : In aquam frigidam trans-
 versa ita conjicitur , ut dextræ manus pollex sinistri pedis
 magno digito sit allegata , quæ si supernatat , de crimine
 Veneficii valdè suspectam judicant & idcirco duriori quæ-
 stioni subjiciunt , si verò submergitur , innocentem esse
 credunt judices. Magnif. Dn. Struv. *in dissert. de indiciis*
annex. quest. de probatione per aquam frigidam sagarum.
 Sic olim Celtæ sive majores nostri recens natos infantes
 Rheno , quem ob id purgatores appellarunt , imposue-
 runt , eo ipso exploraturi , an ex legitimo conjugio nati sint
 & quidem de legitimis certiores facti , si aquis innata ve-
 rint , de spuris , si immerferint. Dn. Conring. *in diff. de*
Republ. Antiqua veterum Germanorum tb. 12. Inter alia
 etiam (omnibus autem enarrandis modis probandi hæc
 pagina vix sufficit) fuit *jus feretri, sive Cruentationis,*
Das Barrecht / quo ipso , si ad præsentiam occisoris cada-
 ver quovis modo occisum cruentare cœperit Rei culpam ,
 sin minus , innocentiam ejusdem probare voluerunt , &
 de hoc cruentationis jure dissertationem conscribere a-
 nimus fuit , absoluturus eandem quatuor capitibus , ita ut
 primum caput exhibeat *Onomatologiam juris feretri E-*
jusque moralitatem. II. Causas Cruentationis. III. Histo-
rias confirmantes Hypothesin. IV. Questionem, an
sufficiens signum sit ad torturam?
 Deus annue cœptis!

CAPUT I.

labij

CAPUT I.

Exhibens Onomatologiam cum Descriptione, nec non moralitatem hujus juris.

SUMMARIA.

I. Etymologia juris. II. Ejusdem Homonymia. III. Etymologia vocabuli feretri. IV. Etymologia cum Homonymia & Synonymia juris feretri. V. Juris feretri propriè dicti descriptio. VI. Quòd sit jus feretri consuetudo & quidem antiquissima. VII. An consuetudo illa sit rationabilis vel irrationabilis. VIII. An Germani hoc usi fuerint jure. IX. Quæ sit persona exercens hoc jus & an judex salva conscientia, ita ut non ad aliud obligetur, possit exercere. X. Forma & finis hujus juris Cruentationis, s. feretri. XI. An hoc jus etiamnum hodie sit in usu, & si non, an introducendum.

§. I.

Cum titulus index sit rei subjectæ, Dn. Præses Exercit. I. Comment. ad R. J. ff. neque res illa, quæ in descriptione vel definitione est describenda, commodè possit innotescere, nisi prius titulo vocabulisque, quibus constat, explicato, mearum etiam erit partium, nonnulla de inscriptione dissertationis hujus, priusquam descriptionem ipsam attingam, præmittere. Juris vocabulum unde descendat, quot capita sunt, tot ferè sententiæ. Guilielmus Grotius in *Enchirid. de princip. juris naturalis* C. 1. n. 2. jus à voce jussum (quæ à jubendo venit) derivat, ratio-

à 3

nem

nemque addit, quia ea, quæ nos jura vocamus, jussorum nomine apud Veteres venerint, alii jus à justo, eò, quòd comprehendat illud, quod justum & æquum est, Imperator *in l. 1. ff. de J. & J.* jus à justitia appellatum esse vult.

§. 2. *Homonymiam* juris quod attinet, vocabulum in juris variè accipitur & quidem vel propriè vel impropriè. *Propriè* uno saltem modo, nimirum pro jussu, præcepto & lege Superioris. *Impropriè* variis modis & quidem (1.) Pro ipsa jurisprudentia velut in rubrica *Inst. de J. & J.* (2.) Pro eo, quod jure continetur, & cuique tribuitur, idque vel *generatim*, seu indefinitè, uti in hujusmodi formulis, quando dicitur, jus suum cuique tribuendum, vel *specialiter* pro facultate jure tributa: Veluti jus eundi, agendi &c. jus possidendi, jus venandi & sic deinceps. Item cum dicimus, quòd homines sint sui vel alieni juris, quo in significato haut dubiè accipiendum videtur, cum dicimus, jura sanguinis, agnationis, naturalia, & adoptionis jura, pro beneficiis sanguini, agnationi, naturæ, adoptioni jure tributa §. *fin. Inst. de legit. agnat. tut.* §. *fin. de cap. dim. l. fin. ff. de J. & J.* (3.) pro loco, in quo jus dicitur, *l. 2. d. jurisdictione, l. 1. de in jus vocando l. 11. ff. de J. & J.* (4.) Pro sententia judicis, licet illa iniqua & contra jus sit *d. l. 11. de J. & J.* Dn. Præses *Coll. privat. Inst. ad tit. de J. & J.* In hac verò dissertatione sumitur pro medio aliquo, per quod exercetur justitia.

§. 3. Jam ad alterum vocabulum rubri nempe *feretrum*, quod dicitur à ferendo, eò, quòd hoc ipso instrumento in loca humanis cadaveribus demortuorum hominum destinata, uno quæ nomine vocantur religiosa §. 9. *Inst. de R. D.* mortui ferebantur.

§. 4. Et ab hoc Instrumento jus feretri nomen
ac-

accepit, eò quòd Ceremoniæ istæ circa sandapilam sive feretrum fieri solebant, sumiturque vel propriè vel impropriè. Hoc modo pro illo iudicio, quod ex Erasmi Francisci Neupolirten *Geschicht. Kunst. und Sitten. Spiegel* l. 2. p. 336. citat Schottelius in *libr. de singularibus quibusd. & antiquis germ. jurib. c. 3. n. 8.* & tale est; si nimirum in Germaniæ inferioris quibusdam locis occisus aliquis reperiatur, neque de occisore satis constet, vel licet satis superque occisor notus sit, ob fugam verò capi & in vincula detrudi nequeat, iudex ejus territorii adjunctis sibi Assessoribus & Fiscali in ipso delicti loco iudicium exercet, factaque accusatione & protestatione, nimirum urbem hanc in culpa hujus cædis non esse, Carnificem tribus vicibus, pleno ore, strictoque gladio reum citare jubet. Propriè verò dictum jus feretri alio nomine vocatur jus *Cruentationis*, item *Sandapila*, *das Barrecht* Schottel. *ibid. n. 4.*

§. 5. Est autem jus feretri *Consuetudo Antiquissima*, à Veteribus Germanis recepta, quâ mediante ad mandatum iudicis suspecti de cæde ad Sandapilam ducebantur, atque solennia quadam celebrare cogebantur eum in finem, ut si rei cadaver sanguinem effundat, reus nocens sit, si minus, innocens, Schott. *cit. loc.*

§. 6. Dixi in definitione hoc jus esse consuetudinem, eò, quòd expressa sanctione non fuerit publicatum, sed per usum & diuturnos mores introductum, & quidem antiquissimam Consuetudinem, cum scriptores antiquissimi eandem observaverint, quos inter est Lucretius lib. 4. de rer. nat. ita canens:

Namque homines plerumq; cadunt in vulnus & illam
Emitat in partem sanguis, unde icimur ictu,
Et si cominus est, hostem rubor occupat humor.

§. 7.

§. 7. Cum verò consuetudo alia sit rationabilis, alia irrationabilis, non possumus non etiam hîc quærere, an ad rationabilem, an verò irrationabilem hæc referenda sit consuetudo? Et sanè si examinemus, quid sit rationabilitas, & quid sit eidem opposita irrationabilitas, ultrò fateri cogimur, omninò esse irrationabilem: Rationabilitas enim est Consuetudinis, ut ea ipsa non legi divinæ, utilitati publicæ aut quòvis modò rationi non repugnet Magn. Dn. D. Roth / h. t. Acad. Rector, in Colleg. Publ. ad Inst. §. 2. de I. N. G. & C. Sed hæc Consuetudo talis non est, potius legi divinæ pietatique contrariatur: eo ipso enim constringitur q̄s. Omnipotentia Dei, qui ens liberrimum & liberrimæ potentia, q̄s. nimirum non possit vel immediatè, vel mediante alio quàm hoc signo reum prodere. Et ad hæc scriptura indicium omne, quo Deus tentatur, prohibet *Deut. 6. Matthæi. 4.* Neque obstat textus Biblicus in *Gen. c. 4. v. 10.* ubi Jehova, vox sanguinis, ait, fratris tui clamat ad me de terra, quo nihil aliud probatur, quàm Deum etiam videre occultissima scelera eademque tandem graviter vindicare. *Carpz. pract. Crim. qu. 122. num. 32.* Præterea cum ipsa ratione pugnat hæc propositio: Cadaver occisi in productione Rei ad sandapilam non cruentavit, ergo Reus est insons, possunt enim alia graviora indicia adesse quàm hoc, quid? Exempla in promptu sunt, quibus possit demonstrari, quod & presente occifore non cruentaverint cadavera, vel Cadaver cruentavit, ergò est reus homicidii, cum ita contra principium juris in re dubia condemnetur quis, non absolvatur: potuisset enim ex quadam naturali causa fieri hæc cruentatio.

§. 8. Dixi porrò in definitione esse consuetudinem

nem hanc *Germanis receptam*: licet enim referente Tacito, apud jam dictos Germanos plus valuerint boni mores, quam bonæ leges, ut ita non opus fuerit ejusmodi juribus; attamen si eundem Tacitum evolvamus & Dn. Conringii *dissertationem de Republ. antiqua veterum Germanorum*, referunt hi crebras etiam ut inter vinolentos, apud eosdem rixas cæde & vulneribus transigi solere, ubi ex dicto Tacito refert Schottelius *l. 3. n. 5.* D. Conringius citat. *disp. thes. 13. & 34.* cum autem contra jus naturæ sit, aliquem lædere, Christianaque caritas aliud (valeret, leges verò scriptæ iisdem nondum innotuerint, commonefacti introduxerunt judicia, quæ vocarunt divina, & præter ferrum candens, aquam bullientem & hoc jus Feretri inter ea posuere, cum judicio bannitorio, in casibusque incertis, jus feretri, in certis, judicium bannitorium adhibuerunt Schottelius *cit. loco n. 7.*

§. 9. Personæ constituentes hoc judicium fuerunt Reus & Judex, potestatem gladii habens, qui vel specialiter ad hoc judicium celebrandum à propinquis & amicis occisi rogabatur, vel quandoque etiam ex officio exercebat. Circa ejus personam non immerito quæritur, *an salva Conscientia potueris hodieque possit judex judicium hoc exercere, & an possit bona intentio huius iudicii conscientiam securam præstare? Negatur*, neque obstat vulgò dici quod solet, cujus finis est bonus (quod fit ex bona intentione) id ipsum est bonum: hoc enim vel cæteris paribus vel de actionibus indifferentibus est intelligendum, ut sensus sit, cujuscunque, quoad cæteras circumstantia boni finis est bonus, is ipse totus bonus est, vel cujuscunque actui in se indifferenti bonus accedit finis, is ipse bonus evadit. Quod si verò actus antea & aliunde malus sit, v. g. ex parte objecti aut aliarum Circumstantiarum,

B

rum,

rum, illum à bono fine vel bona intentione quoque bonum fieri falsissimum est, & ut bona sit aliqua intentio, perfecta non tantum finis, sed omnium etiam Circumstantiarum conformitas, cum recta ratione requiritur. Rober. Sanderfonus *pralect. ii. de Conscientia* §. 9. c. 10 §. 12.

§. 10. *Forma* consistebat in eo, nimirum suspecti ducebantur ad sandapilam, in qua jacebat occisus & singuli cogebantur certa verba, quae ipsis praelegebantur, repetere, digitis, vulneribus, ori & umbilico applicatis. *Finis* fuit, ut si vulnera Cadaveris ederent nonnulla signa cruentationis, titillationis vel spumationis, nocens sit reus, sin minus, innocens. Quamvis D. Wilh. Romanus in *diss. de corpore delicti in criminibus, facti permanentis portio ad effectum condemnationis considerato* c. 2. §. 2. cū Paul. Zach. *quest. Medicolegal. 8. t. 5. tit. 2. num. 8.* neget, talia signa à mortuis fuisse petita, eū in finē, ut ex cadaveris cruentatione, si talis contingat, suspecti culpa, si secus, ejus innocentia aestimetur, sed ideò, ut corpus delicti sive ejus veritas tantò plenius probari possit.

§. 11. Sed prius quam caput hoc ad finem perducam, quid de hac quaestione sentiendum sit videbimus, nempe *an hoc jus etiamnum hodie sit in usu, & si non, an introducendum?* Distingvendum est inter consuetudinem hanc jam jam introductam & introducendam; si est introducta, debet cautio hæc adhiberi, quam praxeos Criminalis periti solent adjicere, ut, nimirum si judex aliquis velit exercere hoc jus feretri, cautè procedat, seduloque operam det, ne eo tempore, quo judicium hoc exercere vult, cadaver moveatur, neque prius producatur suspectus, quam occisus per aliquod temporis spatium immotus sub jove frigido jacuerit, ne causa naturalis subesse i-

dea-

deatur, hisce deinde legitimo modo observatis, potest omnino produci & ad tangendum compelli. Circumstantiæ etiam accuratissime sunt observandæ eaque, quæ jus fasque est fide & industria, actis inferendæ, secundum has suspectus est examinandus actaque demum sunt in Scabinatus & Facultates mittenda (die acta müssen zum Spruch Rechts verschiebet werden) uti hanc cautionem addit Auctor Anonymus Prax. Crim. Altenburg, editæ An. 1678. p. m. 146. 147. Si verò introducenda, tum ob suam, uti dixi in §. 7. *supr.* irrationabilitatem; tum quod & Jus Civile novum & vetus de hoc indicio, prout aliàs notabilia specialiter notare solet indicia, ut in l. 5. §. 26. de injuriis. l. 1. §. 2. ff. de publ. & vectig. l. 3. §. 1. ff. naut. caup. & stabular. taceat. Neque Imperator Carolus V. ut maximè homicidiorum commissorum varia indicia in Ordinat. jud. Criminal. recensuerit, profluvii sanguinis mentionem ibidem fecerit. Carpz. p. 3. prax. crim. quest. 122. n. 33. Re-tius in benè constitutis judiciis, præsertim si non alia indicia concurrant, negligitur.

CAPUT II.

Causam Cruentationis in jure feretri exhibens.

SUMMARIA.

I. Ratio Connexionis. II. Statuentium opiniones, quòd ex antipathia. III. Statuentium, quòd ex sympathia. IV. Eorum, qui ex reliquis anima causam cruentationis derivant

vant. V. Statuentium, quod ex oberrantibus defunctorum animis ortum erabat, & denique VI. Eorum, qui Spiritui inimicitia effectum hunc tribuunt, refutantur. VII. Additur ratio decidendi quod nimirum fiat quandoque naturaliter, quandoque supernaturaliter.

§. I.

Cum in præcedenti Capite cruentationis, quæ in iure feretri fieri solet, mentionem fecerimus, nostrum erit etiam inquirere, annon ex causa quadam naturali hæc effluxio sanguinis fiat? & sunt qui hanc Cruentationem ex Antipathia, qui ex Sympathia, qui ex Reliquiis animæ, qui ex oberrantibus defunctorum animis, qui ex Spiritu inimicitia, oriri arbitrantur, sed quid de his sentiendum, videbimus.

§. 2. Qui hanc Cruentationem ex *antipathia* ortum trahere cum Levino Lemnio *lib. 2. de occult. natura miraculis c. 7.* Magiro *lib. 3. Philosoph. peripat. c. 8.* statuunt, dicunt, fieri posse, ut Spiritus in corpore residui ex Antipathia occisoris præsentis excitati sanguinem foras protrudant, Levini Lemnii verba hæc sunt: *Quod si quis, inquit, statuat propinquos ac sanguine junctos, Sympathia quadam, hoc est, mutuo natura consensu sanguinem elicere; facinorosum ac patrati sceleris reum Antipathia ac dissensione tacitaque discordia id ipsum efficere, non futurus sum in eâ re contentiosus, uti horum sententiam refert Frenzel. in diss. de cadaveribus humanis ad præsentiam occisoris cruentatis c. 2. th. 2. & in diss. de causis corporum cruentator. sect. 1. c. 3. §. 4.* Sed horum sententia cum ipsa Antipathia pugnat definitione, quæ talis, quod sit naturale odium unius corporis; jam verò, cum sit naturale, non potest inter omnem interfectorem & interfectum esse; inter hos enim

nim non semper est aliquod capitale odium, quod cum eorum natura simul fuerit inditum, sed quandoque, qui optimi fuerunt amici, inter pocula ira commoti alter alterum ex calore juvenili interficit; Esse autem hanc veram Antipathia definitionem, exemplis, inter quæ est Antipathia, res fiet clarior. Inter ovem & Lupum est odium aliquod, sed annon à natura? à matre enim adhuc rubens conspecto lupo fugit. Quis docuit pullum gallinaeum vix ovo exclusum, fugere accipitrem, quem si videre contingat, fuga sibi ad matrem consulit; cur non bovem, corvum aliâque animalia reformidat? hoc à nullo edoctus est præceptore, eidem id ipsum natura indidit. Ea etiam est Antipathia natura, ut sit non temporalis, sed perpetua. Allium Magnetem à virtute trahendi ferrum non una vice impedit, sed semper. A quibus cibus natura quis semel abhorret, illos non quandoque appetit, sed si vel fraude vel dolo immisceantur aliis, cum vomitu hic talis eosdem egeret; jam verò si inter occisorem & occisum tale esset odium naturale, non amicè antea convenissent, neque obstat, quod una cum plagis ipsaque cæde implanteretur occiso ac deinde se, si præsens sit occisor, exerat, cum concedamus, odium aliquod quidem inter moriturum & interficientem esse, sed non naturale, i. e. quod ipsa natura indidit, plures rationes ad refutandam hanc opinionem facientes vid. apud dict. Auctor. cit. loco §. 2. & 3. item Gothofred. Voigt c. i. deliciarum Physicarum sect. IV. ex 2. p. m. 67. & seqq.

§. 3. Neque hoc fit ex Sympathia, cum eadem sit ratio Sympathia, quæ Antipathia, non minus illa constans ac eadem, quam Antipathia, quis autem temerè concedet, eam esse à natura constantem in occisore & oc-

cifo. Plura vid. apud dict. Autor. *citat. loc. §. 5.* Kirchnerum *Exercit. de cruentatione cadaverum in punct. 2. §. unic.* Dicendum igitur cum Dannhauero *Colleg. Phys. 4. controu. 8.* quòd eorum sententia, qui ex amore, quem Scaliger vocat effectum unionis, proficisci hanc cruentationem arbitrantur, repugnet principiis Physicis, eò quòd hoc ipsum nihil aliud esset, quàm suo effluxu velle infensissimo hosti uniri eundemque amare vid. Voigt *c. 2. de lic. Physicar. sect. IV. ex. 1. p. m. 66.*

§. 4. Neque etiam hoc fit ex reliquiis animæ: refutamus enim cum Dn. Voigt *c. 1. de lic. Physic. sect. 4. exam. 3.* ita statuentium opinionem hoc argumento: Si stillatio sanguinis ex occisi corpore provenit ex reliquiis animæ, illæ reliquiæ aut erunt animæ rationalis, aut sensitivæ aut vegetantis: plures enim non dantur gradus animæ; sed neque sunt reliquiæ animæ rationalis, quia hæc a præsens est & jam jam corpus relinquit, neque sunt reliquiæ animæ sensitivæ, neque vegetantis, quia ipsa anima sensitiva atque vegetativa à rationali in homine non distinguuntur realiter; neque exempla de cauda angvillarum & lacertarum abscissa nos feriunt, nam non eò præcisè tempore, quo præsens est, qui abscidit, commoventur, sed quocunque præsentè & tamdiu, quamdiu omnis vis extincta est; distingvendum igitur arbitror cum eodem Voigtio inter ferventem quendam calorem vel vaporem & animæ reliquias, priùs, cum præsertim in corde cadaveris aliquamdiu beneficio sanguinis retineri possit calor, concedimus in cadavere, postèrius negamus. Plura apud laudat. Aut, *citat. loc.*

§. 5. Porro neque hanc cruentationem *oberrantes intersectorum anima* efficiunt, sicuti memorante Voigtio

Agrio sect. IV. c. 1. ex V. deliciarum Physic. in ea hæresi fuere Bodinus, Kornmannus & alii, sed cum veritati non solum, sed & Pietati contraria sit hæc sententia, est explodenda, eamque sequenti impugnabo ratiocinio: Si animæ vel violentâ vel naturali morte defunctorum sunt vel in cœlo, vel in inferno, sequitur, quod non possint oberrare; sed verum est prius; Ergo & posterius, prius quod attinet, novimus ex sacris, quod animæ vel in sinum Abrahamæ deportentur, hoc est in cœlum, vel in locum tormentorum detrudantur, h. e. in infernum *Luc. 16.* quodque de limbo Patrum & Purgatorio alioque tertio loco taceat scriptura; Consequentia firmo stat talo. Porro argumentor: Si animæ non oberrant, sequitur, quod non possint esse causa efficiens Cruentationis; sed verum est prius; ergo & posterius: Prius satis jam satis constat, posterius canone philosophico probo, negata sc. causa negatur effectus.

§. 6. Neque præterea ex *Spiritu inimicitia* oritur hæc cruentatio. Spiritum hunc inimicitia ab occisore in occidendum in ipso occidendi actu egredi vult Athanasius, Kircherus *in arte Magnet. lib. 3. p. 7.* cui sententiæ favere etiam videntur Sprengerus, Majolus, Galeottus; Hæc verò sententia à Kirhmaiero jamdudum est explosa *in disser. de cruentatione cadaverum sect. 1. par. 3. §. 1. & 2.* quinque prægnantibus rationibus, ex quibus unam tantum adducere volo: dicit nimirum, si hæc vera debet esse causa, oporteret dari in cadavere potentiam quandam cognitricem, quæ sanguinem in occisorem dirigeret, & quæ cognosceret occisorem & non alium esse præsentem, at ubi habitabit hæc virtus cognitrix, cujus animæ facultas erit, cadavere anima exuto? reliqua lege sis apud Cit. Aur.

§. 7. Ego

§. 7. Ego licet cum Hieronymo Magio, quem citat Schottelius *lib. de singularibus german. jurib. c. 3. §. 16.* certi quicquam, quod asserā, me non habere, fatear, salvo tamen cujusvis iudicio arbitror, hanc cruentationem fieri quandoque ex causis naturalibus, præsentem vel non præsentem occisorem cum Dn. Voigtio *delic. Physic. c. 1. sect. 2. membr. 11. §. 1.* Kirchmaiero *citat. dissert. sect. poster. punct. 1.* Frentzelio *citat. diff. c. 3* ex eo fundamento, quod quandoque dentur causæ naturales (1.) enim potest fieri per sanguinis & calidiorum Spirituum in venis cadaveris reservationem: Venæ enim, quæ sunt vasa sanguinis, peculiarem habent virtutem in eo conservando; hinc sanguis, quamdiu in venis est, fluxilis manet, ubi verò è venis exit, sive in vivo sive in mortuo corpore, statim concrevit, idque propterea, quia tum calor expirat, qui in violenter occiso corpore aliquot dies atque septimanas remanere potest. (2.) Ex venarum putrefactione; quamvis enim humanum corpus ex partibus diversæ naturæ compositum sit membraque humidiora & calida præ cæteris facilius putrescant & verò sicciora & ad frigiditatem inclinantia (quibus etiam venæ annumerandæ) non ita putredini sint obnoxia, tandem tamen, cum putrefactio etiam in his dominari incipit, sanguinem emittant necesse esse. (3.) Ex vulneris aliorumque meatuum apertione, quando nimirum viæ obstructæ vel cruore, vel alia materia, quæ effluxum sanguinis impedire potest, aperiuntur & obstacula remouentur. (4.) Calidarum expirationum operatione; Nemo enim negare poterit, quod externi aëris constitutio calida fluxum sanguinis promoveret, frigida contra impedire queat, utpote cum omne calidum aperiat rare faciendo, frigidum verò corpus recludat

cludat constringendo. (5) Cadaveris vel interna vel externa commotione, interna fit in sanguine existente in venis, qui nonnunquam reliquias quasdam caloris & spirituum in se retinet, per quas commovetur ad tempus, eo motu, qui paulò ante mortem, anima adhuc præsente, eidem fuit impressus. Externa fit, quando vel à circumstantibus spectatoribus, vel ab attingente persona, vel ab alio principio externo corpus commovetur, quâ commotione vel leviter facta sanguis ad corporis ruit habitum ac per nares aliasque vias patentes elabatur. Quandoque etiam Omnipotentia divinae tanquam supernaturali aliquid esse tribuendum, præsertim si præsente interfectore, cujus aliàs præsentia ad naturalem cruentationem nihil facit, ebullientis sanguinis signa appareant, miraculoseque hac in parte fieri, quod non intret juris rationem, nemo inficias ibit, id quod ab ipsa origine hujus juris in Germania potest probari: vocabatur enim hoc iudicium divinum, eo quod Deus hoc miraculo cædes occultas aperiret, imò quamplurima extant exempla cruentationis, quæ nec argutissimus Philosophus ad phycas causas referre potest. Utriusque autem cruentationis tam naturalis, quam supernaturalis exempla caput sequens exhibebit.

C

CA-

CAPUT III.

Utriusque tam Naturalis, quam Supernaturalis cruentationis exempla exhibens.

SUMMARIA.

I. Ratio Connexio. II. Exemplum primum cruentationis naturalis, de studioso quodam inter oppidum Dieben & Lipsiam interfecto. III. Alterum de infante quodam à matre occiso. IV. Tertium de Barone quodam, Nobilem qui Sicariorum more occidi jussit. V. Supernaturalis exemplum primum de Nobilibus binis, qui opilionem interfecerunt. VI. Alterum de fure quodam, quo accedente manus per decennium jamjam suspensa cruentavit. VII. Exemplum de cultrario Viennensi, in cuius presentia ossa, jamjam ante annos viginti sepulta, cruentarunt. VIII. Casus ad Facultatem Tübingensem transmissus refertur.

§. I.

Cum exempla vel maximè illustrent, eadem ad illustrandam meam hypothésin, quâ arbitror quandoque naturaliter fieri hanc cruentationem, quandoque supernaturaliter, adducere jus fasque esse duxi & quidem quod nonnunquam ratio naturalis reddi possit, sequentia exhibebunt exempla.

§. 2. Manlius *LL. C. C. p. 407.* refert, quod Studiosus quidam anno 1544. inter oppidum Dieben & Lipsiam fuerit interfectus, ejusque Cadaver in aquam sit projectum, ubi totas quatuor septimanas jacuerit, postea verò quàm in eodem loco inventum & ex glacie erutum in proximum oppidum

dum deportatum fuerit, iudice cum civibus adstantibus inspicientibus coeperit recentem stillare sanguinem cadaver, nec amico nec inimico praesente. Quae in hoc exemplo sit causa naturalis, de facili constabit ex supra dictis.

§. 3. Ejusdem propemodum argumenti Exemplum narrat Voigtius *c. 1. sect. 2. membr. 2. §. 2.* de infante aliquo recens nato, quem scelerata mater, postea quam violentas eidem intulerat manus, ex arce generosi cujusdam Baronis Superioris Austriae in fossam aqua repletam injecit; Hic cum post quinque septimanas repertus atque exemptus esset, matre, quae tunc temporis erat incerta, non praesente, sanguinem profunderet admodum recentem coepit.

§. 4. Zeilerus in *der sechzehenden traurigen Geschichte* memorat Baronem Gallicum, Nobilem non ultimae sortis & conditionis globulis trajici sicariorum more jussisse, & postquam mandans sicarius se amicum certissimum amisisse dissimularet, eaq; propter in defuncti cadaver caderet, factum est, idque ex motione per casum seu impetum quendam, ut occisi vulnera se aperuerint & Baronem sicarium sanguine polluerint, referente ex eo Schottelio *lib. de singularibus germ. jurib. c. 3. §. 23. p. m. 99.* & haec de naturali sanguinis effluxione dixisse sufficiant.

§. 5. *Supernaturalis* effluvii exempla sunt sequentia: Dominus Harsdörffer in *Nordgeschichten* refert an. 1607. 25. Aprilis capite truncatos esse binos ortu nobiles, eò quod opilionem interfecissent eumque sub fruticeto abscondissent; hi ambo ex mera suspicione, quia in ista regione habitabant, in vincula sunt coniecti, & postquam successivè ad cadaver per quatuor jam dies occisi adducti fuerant, in primo accessu cadaver cumulatissime sanguinem stillavit, donec

nec recederet, accedente altero, occisus, dextra vulneribus admota, postea digitis occisorem monstravit, Schottelius *cit. loc.*

§. 6. Eodem in loco Schottelius ex Chytræo memorat cuiusdam occiso manum fuisse abscissam atq; reliquis sepultis, in carcere Izehoensi suspensam, ubi etiam per decennium pependit. Tandem quidam in puncto furti captus, eò deducitur, quo accedente, exsiccata jam jam manus sanguinem ebullire incepit, cumque de hoc signo interrogaretur captus, ingenuè fassus est, se viro alicui ante decennium in via publica violentas intulisse manus, cujus hæc sit manus.

§. 7. Sic Abraham à Kreckvitz in *Sylvula Politico historica. p. m. 508. 509.* memorat Nobilem Austriacum propter aliqua negotia, Viennam cum servo profectum esse. Hic cum propè sylvam venisset, canibus, quos secum adduxerat, multum latrantibus opinabatur hosce fortassis feram persequi, cumque ejus rei cognoscendæ causa servus mitteretur, referebat hic, feram non adesse, sed canes ex colle aliquo ossa nonnulla pedibus effodisse, quæ hic secum afferret; Nobilis ille, ob singularem eorum albedinem hæc ossa secum abduci atque Viennæ fabro cultrario tradi, ut ex iisdem aliquid conficeret, jubet, servus suarum quod est partium faciens, adfert dicto fabro cultrario ossa, quæ cum acciperet, uberrimè sanguinem emittere incipiunt, quo viso servus cum fabro cultrario exhorrescunt, servus visa Domino, Dominus audita magistratui indicat, cumque acerrimè hic fabrum cultrarium commonefaceret, ut ingenuè crimen perpetratum fateretur, hic ultrò non malo coactus fassus est, se ante viginti annos in dicta sylva spe lucri comitem suum interfecisse jamque ejus ossa ultionem poscere, uti

uti & hanc rem narrat Marcus Marci à Kränland *Philos. vet. restit.* p. IV. *sect. 1. subsect. 3.* & omnino ad causas supernaturales refert.

§. 8. Unicum adhuc ex Besoldi *Thesaur. pract.* p. 83. sub voce **Baarrecht** / referam, is enim se meminisse, inquit, ad Facultatem Juridicam Tübingensem von **Wertheim aus Francken** / casum quendam allatum fuisse, ubi inter alia sequentia etiam reperta sunt, quæ Germanicè huc apponere libet. Nachdem auff fleißige inquisition der Thäter sich nicht befinden oder angeben wollen / ist man deswegen verursachet worden / ein Baarrecht anzustellen / bey solchem hat Niclas und Baltas kein Zeichen an dem Körper / welcher allbereit 36. Stunden ermordet gewesen / und theils im Gewölbe / theils etliche Stunden vor dem Actu unter freyem Himmel bey ziemlich kaltem Wetter / mit auffgedeckter Brust und Bauch gelegen / erweisen wollen / und sind beyde auff ihrer ersten Auslage satis confidenter verharret.

(NB. Es haben vier auff den Entleibten gewartet / da der Entleibte mit einer Hellepart kommen / seynd obermeldte zwey hinweg gelauffen.)

Auff Vorführung des Jörgen / hat der Körper aus dem Munde blutigen Schaum gegeben.

(NB. dieser ist Præsens blieben / da der occisus gestochen worden / hat aber nicht Hand angeleget.)

Nach folgender Vorführung Clausen des Wächters (welcher ratione officii und auff fordern zugelauffen / auch Fried machen wollen / und dem Entleibten seine Hellepart genommen) hat gedachter Körper aus den Wunden Blut gegossen / und solche (welche über das Herz gewesen) nicht anders gebet / als wenn das Herz noch lebte.

Dessen ungeacht hat gedachter Wächter die ihme angehal-



tene Formulam juris jurandi drey-mahl geleistet (NB. er hat 1) zween Finger auff des Entleibten Mund / (2) auff den Stich / und (3) auff den Nabel gelegt / auch dem Pfarrherrn / so ihn seines Gewissens erinnert / nachsprechen müssen / die That aber nicht bekennen wollen.

In Gegenwart Lorenzen / mit welchem der Entleibte / da er den Stich bekommen / zu thun gehabt und gerungen / hat der Edrper blutigen Schaum abermahl aus dem Munde gegeben / so wohl auch etwas Bluts aus den Wunden / folgenden Tages hat der Wächter selbst zu einem Thäter sich angegeben.

Ex hoc apparet vulnus corpusque mortui gradus culpa observasse. Da der Jörg praesens gewesen / ist recht natürlich Blut aus dem Munde geschäumet. (NB. Dieser war fast der Anfänger des Handels / Ergo hat der Mund ex rancore geschäumet / sed non vulnus, weil er nicht der Thäter /) da der Wächter gegenwärtig / hat sich beym Munde nichts ereignet / da er aber die zweene Finger auff die Wunde gelegt / ist recht natürlich Blut über die Seiten gelauffen / daß der Chirurgus solches wegwischen müssen. Da er zween Finger auff den Nabel gethan / hat die Wunde wieder ebulliret, aufgejoren und gezucket / gleich wie die Puls Adern schlagen. Der Lorenz hat mit dem occiso gerungen / im Nachsprechen ist dem Todten blutiger Schaum zum Maule ausgelauffen / als er auff die Wunden die Finger geieget / hat die Wunde wieder gezucket und sich gereget. Da Lorenz abgeschieden / hat sie nicht mehr gezucket. Et hæc ad confirmandam meam sententiam adjicere volui, plura non diffiteor potuissent adjici, sed cum omnia annextere nimium laborem scribenti nec minus tedium legenti faciat, eum, qui plura desiderat, remitto ad Voigtium, Schottelium, Frenzelium citatis locis, aliosque inprimis
ad

ad elegantem dissertation. D. Becmanni Professoris Francofurtani ad Oder. *de iudicio Dei*. Et ad fatietatem propemodum inveniet ibi exempla.

CAP. IV. ET ULTIMUM.

Exhibens quæstionem illam, an
Cruentatio cadaveris in iure feretri sive
Cruentationis facta signum sit suffi-
ciens ad torturam?

SUMMARIA.

*I. Exhibet causam quamobrem introductum remedium
torturae. II. Observanda iudici in pronuncianda tortura.
Tractat quæstionem: an sufficiens signum sit Cruentatio ad
torturam. Tres opiniones circa decisionem huius quæstionis
notantur. III. Refutatur prima. IV. Refutatur secunda.
V. Eligitur tertia.*

§. I.

Cum Reorum in omnibus criminibus sit fugere, adeò,
ut, ubi ferè nihil quàm Rei confessio deesse videtur, ii-
dem quos vel ex verisimilibus vel certis argumentis crimen
commisisse constat, inficientur, jure introductum est re-
medium veritatis indagandæ *l. 15. §. 41. ff. de injuriis*. licet
periculosissimum, *l. 1. §. 23. ff. de quæstionibus*, si tamen legi-
timè & temperatè adhibeatur non culpandum, *tortura*
nempe, quam iudex, si Reus de crimine per testes non fue-
rit convictus, decernere solet. *D. Eckolt Comment. ff. de
quæstionibus §. 1.*

C 4

§. 2. Ut

§. 2. Ut autem iudex legitimè utatur remedio torturæ D. Eckolt. *cit. loc.* §. 5. quatuor notat requisita, quæ accuratissimè debet observare (1.) ut causa & accusatio sit criminalis eaque atrox & capitalis. *l. 8. ff. de questio. Ordinat. Crim. artic. 8. in princip.* Wesenbec. *ad tit. de quest. n. 8.* (2) ut deficient aliæ legitimæ probationes, sic ut veritas aliter haberi nequeat, juxta Paulum *in l. 8. ff. de questio.* non enim à tortura inchoandum, *l. 20. ff. eodem.* (3) Ut de corpore delicti præprimis constet, & quidem certò, illudque verè perpetratum fuisse appareat. *l. 1. §. 24. ff. ad SCt. Syllan. l. 1. Cod. ubi causa Fiscal.* & (4) requiritur, ut Reus multis indiciis oneratus & argumentis propemodum convictus sit, si velit dictum remedium decernere. *l. 1. §. 1. l. fin. ff. l. 3. §. 8. §. 1. C. de questionibus.* Quocum concordat *Constit. Crim. artic. 20.* verbis: **Wo nicht zuvor redliche Anzeigen der Missethat vorhanden / darnach man fragen wolte / soll niemand gefraget werden ic.** cum qua etiam convenit *artic. 6.* ejusdem, hisce verbis: **So iemand einer Ubelthat durch gemein Leimuth berüchtiget / oder anderer glaubwürdiger Anzeigung / Verdacht und Argwohnung / und deshalb durch die Obrigkeit von Amtes wegen angenommen würde / der soll doch durch peinaliche Frage nicht angegriffen werden / es seyn denn zuvor redliche und derhalben gnugsame Anzeigung und Vermuthung / von wegen derselben Missethat auff ihn glaubwürdig gemacht.** Dn. Werner, *in diss. d. quest. & torturis, th. 27.* Eaque propter hinc non ineptè quæritur, *an & hoc cruentationis indicium sufficiens sit ad torturam?* Et ad hanc quæstionem ventilandam notandæ sunt tres opiniones eorum scilicet, qui dicunt, *hoc unicum indicium plenissimè sufficere ad torturam*, quos interest Menochius. *de presumt. 89. n. 128.* Mascard. *de probat. volum. 2. conclus. 868. n. 24.* Matthias Berlichius, *part. 4. concl.*

4. *concl. n. n. 74.* Ubi in Academia Marpurgensi An. 1608 ejusmodi casum refert accidisse, Reosque ea propter esse tortos, crimineq; confesso capite truncatos, & tanti hanc præsumtionem faciunt, ut dicant, ab ea experientia non esse recedendum, Paris de Puteo *tract. de Syndic. verb. tort. c. 3.* Chassaneus *in tract. de iudiciis. c. 3.* Altera eorum, qui tutissimi ituri in medio quasi consistunt, statuentes, *indici-um quidem, sed solum non sufficiens ad torturam esse, sed necesse, ut alia concurrant indicia, non levia, sed probabilia & verisimilia, quos inter est Dn. Carpz. prax. Crimin. p. 3. quest. 122. n. 36. Zangerus tractat. de quest. s. torturis c. 2. n. 160. Treutlerus selecta. disp. Volum. 2. disp. IV. th. 7. lit. E.* Tertia eorum, qui planè negant esse indicium, quos inter est Magnif. Dn. Struv. *in dissert. de iudiciis c. 3. ind. 2. §. 1.* Arumæus *Ex. 20. th. 19.* Gœdd. *disput. juris p. 3. disp. XV. th. 11.* Schnobel. *disp. ff. 24. th. 25.* aliique quamplurimi.

§. 3. Eam opinionem, qua per se sufficientissimum signum ad torturam esse statuitur, quod attinet, excessui ea est dedita, dum infallibile hoc signum esse volunt, quod tamen si statuatur, in fontem quemque in capitis discrimen id adducere posset, & hac in parte innocens possit damnari cum tamen satius sit relinqui impunitum facinus nocentis, quàm innocentem damnare *l. 5. in princip. ff. de pœnis.* & prudentem judicem deceat non incertis experimentis credere, quando aliquid certa ratione est dirimendum. Matth. *de crimin. ad lib. 48. ff. tit. 16. c. 3. n. 12.* D. Holtermann *diff. de quest. Reorum, th. 18.* Ut maximè enim rationes & exempla quædam proferantur, dubia tamen sunt & ad torturam inferendam infirmiora, & Dn. Carpz. *P. 3. Pr. Crim. qu. 122. n. 31.* hoc etenim, inquit, *scimus, & ipsemet ex actis inquisitionalibus, ad Collegium nostrum transmissis,*

D

com-

compertum habeo, quosdam hoc indicio sæpè falso esse notatos
 ut & illud, quod vero homicidii Reo presente, ne guttutam
 quidem sanguinis homo egresserit, cum quo consentit Marcus
 Marci à Krönland *Philos. veteri rest. p. 4. sect. 1. subs. 3.* & Vo-
 igtius in *deliciis Physic. p. m. 55. 56.* Porro contra eorundem
 opinionem militat *l. fin. C. de probationibus*, in qua dicitur,
 quod probationes debeant esse luce meridiana clariores,
 hoc est indicia indubitata, item *Const. Crim. art. 29. 30. 31.*
 ubi dicitur, quod, si unum debeat sufficere signum, pro-
 pinquum sit & certum. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 49. tb. 99.*
Schnobelius Exercit. 24. tb. 25. sed hoc tale non est: nam
 quod certum est, de eo amplius non dubitatur, non disce-
 ptatur, jam verò de hoc signo hujus sententiæ defensores
 inter se ipsi non conveniunt: (1) enim maximum est discrimen
 circa *tempus* à morte vulnerati computandum, cum
 plerique non nisi post septem aut octo vel ad summum de-
 cem aut duodecim horas talem sanguinis ejectionem fie-
 ri contendunt; Post illud verò tempus nequaquam frige-
 scente forte affatim sanguine evanescentibus spiritibus;
 alii ad tertium diem fieri talem effluxionem docent; alii
 nullum tempus determinant. (2) Variant circa *subjectum*
 ex quo sanguis fluat: nam potior pars ex ipso cadavere oc-
 cisi & ex vulnere ipso promanare vult, nonnulli ex naribus,
 oculis, ore, aliisque corporis partibus; alii ex iisdem par-
 tibus occisoris; alii ex cadavere occisi per vulnera & occi-
 soris simul nares (3) non conveniunt circa *modum* emissio-
 nis sanguinis: nonnulli enim cadaver occisorem versus eja-
 culari sanguinem dicunt; alii ab ipsis vulneribus stillare
 referunt; alii ebullire potius ac fermentari in venis, unde
 extra venas profiliat. (4) variant, quod nonnulli velint ab
 iis tantum cadaveribus manare sanguinem, quæ ferro ex-
 tincta

tincta sunt; alii ab iis quoque, quæ qualicumque modo sublata & interfecta. Uti refert hoc D. Schröter *in diff. de eo quod justum est circa vulnera* §. 40. Ergo cum hæc ita sint, hoc indicium non est indubitatum, neque ergo sufficiens.

§. 4. Eorum sententia, qui indicium quidem, sed leve & non per se sufficiens ad torturam hoc cruentationis signum putant cum Dn. Carpz. & si alia adminicula cum emissione sanguinis ex vulnere, vel etiam ex naribus aliisque partibus corporis præsentate inculpato torturam decernendam esse, atque ita etiam Scabinos pronuntiasse ex gr. Senatui in *Havn* Mens. April. 1601. Quæstori Bornensi anno 1629. item *Friedrich Rosaklein zu Zadel* Mens. Junii anno 1631. cum d. Carpz. *loc. sæpius cit. n. 37.* statuunt, cum etiam sit periculosa, melior tamen priori, non placet; Si enim in causis civilibus magna animi attentione opus est, multo majori in criminibus, ubi de vita & spiritu hominis agitur & irrevocabile factum est D. Schrot. *cit. loc.* & gravissimi sanè res est præjudicii tortura & damnum irreparabile infert Carpz. *Pr. Crim. qu. 117. n. 4.* ubi autem agitur de majori præjudicio, cautius est agendum *l. 3. ff. de Carb. Edict.* & stante incertitudine peccandum potius est in defectu, quam in excessu juxta mentem Julii Clari *in pract. §. ult. quest. 64. circa fin.* D. Holtermann *in diff. de quest. & tort. Reor. th. 18.* Ad hæc certò semper constare nequit, an cruentatio hæc facta supernaturali vel naturali modo; hominem verò, tam nobilem creaturam, cui nulla par putatur, tam miserè miseris modis dilacerare sine certo fundamento summum nefas esset. Neque nos feriunt præjudicia à Dn. Carpz. allata: horum enim valor ut in aliis est, nempe ut saltem probabilem habeant auctoritatem, Magnif. Dn. Struv. *Synt. J.*



C. Ex. 2. th. 17. ita & hic loci manet. Et positò quòd unum vel alterum exemplum adduci posset, uti hoc non negamus, ubi ratio supernaturalis subsit, attamen non exemplis, sed legibus iudicandum l. 13. Cod. de sentent. & interd. nec quæ uno forte casu accidere possunt attendenda juxta l. 3. 4. 5. 6. ff. de LL. & l. 20. ff. de R. J. Articuli. in diff. de indic. delict. classe 3. th. 1. potius quod semel aut bis existit prætereundum l. 3. ff. si pars hereditatis petatur.

§. 5. Optima igitur opinio est eorum, qui statuunt, nullum planè facere indicium ad torturam, & esse spurium, cui sententiæ & ego subscribo: convenit enim ista, cum ipsa definitione indiciorum, quæ ex Boceri tract. de quest. c. 3. an. 12. usque ad 15. talis est: *Indicium est, argumentum, quod rem propositam suâ propriâ vi & naturâ probat.* Dn. Theodoricus in diff. de quest. th. 11. & rectè huic cruentationis signo negatur titulus indicii, eò quòd non respondeat omnibus requisitis, ad indiciorum nomen necessariis imò præter adductas suprâ rationes nempe quod sit (1) indicium fallax uti in §. 3. huj. cap. dictum (2) non certum neque indubitatum. (3) tortura aliàs res gravissimi præjudicii, de quo cautius agendum supr. §. 4. (4) quod sit indicium neque jure Civili neque Canonico neque Carolino expressum supr. c. 2. §. ult. si omittatur etiam judicis persona periculum non incurrit: iudex enim si absque indiciis sufficientibus ad quæstionem procedit, facitque ut Reus torqueatur, non modo injuriarum tenetur, sed pro re nata poenæ mortis se quoque adstringit, imò sine indiciis clavis & de delicto proximis l. 8. l. fin. ff. de quest. terrere captivos non est permiffum iudici, id quod ipsum Constitut. Carol. V. art. 20. vult: *Wo auch einige Obrigkeit und Richter in solchen überführen, sollen sie dem, so also wieder Recht ohne die bewusten Anzeigen gemar-*

gemartert wäre / seine Schmach / Schmerzen / Kosten und Schaden der Gebühr Ergözung zu thun schuldig seyn. Crusius *Tract. de ind. p. 1. c. 3. n. 4. 5. & 6.* quæ pericula evadit, si non procedat ad torturam & contentus sit, si judicet secundum prudentiam, quæ cadit in hominem, relinquendo cætera judicio divino. Francisc. Casonus *tract. de indicis in præmiss. c. 3.* D. Schröter. *in diff. de eo quod justum est circa vulner. §. 40.* atque ita in Scabinatu Jenensi in causa contra H. R. zu S. und Consorten an. 1663, observatum fuisse tradit Magnif. Dn. Struv. *diff. de indicis c. 3. ind. 2. §. 1.* Sicuti etiam aliquando in Scabinatu Lipsiensi referente Dn. Carpz. *p'ax. Crim. p. 3. qu. 122. n. 35.* ad requisitionem Senatus Zwickaviensis Mense Januarii 1606. in causa ubi præter indicium cruentationis fugæ etiam accesserat, pronunciatum est : Ob nun wohl darauff des Entleibten todter Körper / so allbereit gar kalt und erstarrt gewesen / wie derselbe vor Gericht getragen / und die drey Gefangene für ihm gestanden / aber ihn nicht angreifen wollen / an dem empfangenen Schaden von neuen auch gar frisch Blut zu bluten angefangen / und so lange als die Gefangene dabey gestanden / geblutet / (ungeachtet das Blut / so aus der Wunden gelauffen / abgewischt et worden) welches aber hernach / so bald die Gefangenen vor Gericht abgetreten / sich verstopffet. So mag doch derowegen in Mangel anderer kräftigen indicien wieder die drey Gefangenen noch zur Zeit nichts peinliches vorgenommen werden / V. R. W.

Et hæc sunt, quæ L. B. de hoc jure feretri, salvo tamen aliorum saniori judicio scribere volui, conatus, æqui bonique consule, sique vitia quædam, ita ut sit, irrepserint, pro tuâ humanitate corrige. Tibi verò,
 ô Deus, pro concessis viribus sit.

LAUS, HONOR ET GLORIA.
 CO-



COROLLARIA.

I.

Patris mei frater potest matris meæ frater esse.

II. Juramentum agonizantis contra occisorem, non est sufficiens adminiculum ad torturam.

III. Die Dominico agrorum culturæ liberè licenterque licet inservire.

IV. Nobilis & studiosus, qui furtum commisit, æquè ab infelici palo suspenditur atque ignobilis.

V. Mulier, si intra annum luctus iterum nubat viro, infamatur de jure Civili.

VI. Sejum aggreditur Titius, hic illum persequitur, fugiens incidit in cœcum, adeò, ut nisi eundem interficiat fugienti sit pereundum, hic innocentem transfodit, ne ipse confodiatur à persequente, quæritur *num factum hoc sit venia dignum?* Affirmatur.

VII. Quidam aliquem persequitur, persecutus offendit currendo infantem, hic transilire vult infantem, ut vitæ periculum evadat, sed pede offendit infantem, atque ita pedibus conculcat, ut diem obeat supremum, quæritur, *num hic in conscientia obligetur?* Negatur.

VIII. Geradam uxor marito numo vendere potest.

IX. Instrumenta à falso Notario confecta valent.

X. Morte damnatorum testamenta valent, item eorum, qui mortem sibi consciverunt.

XI. Ebrius ad nihil obligatur.

XII. Prodigus testamentum facere potest.

XIII. Infamis, vel levis notæ macula laborans contra infamem & levis notæ macula laborantem non potest querelam inofficiosi instituere.

XIV. Tortura non damnanda.

PE.

PETRUS MULLERUS D.

Furium Cultori Felicissimo

CHRISTIAN. CONRAD. OELSNERO,

Philosophiæ Magistro


Salutem !

Argumentum futurae exercitationis quod obtulisti, tale est, quod in laude dignis poni industria tua gloriam addere possit. Scilicet rem ex naturalibus principiis sumtam tractas cum ratione sententiamque homine erudito dignam deducis rationis interprete oratione; quippe qui humanioribus litteris non leviter gustatis, ac Philosophiæ partibus bellè instructus ad Jus Civile animum appulisti. Didicisti multum sapere, non multum clamare; Sapientia, non inanium opinionum, comparasti supellectilem; ut spes sit Te Jure consultum futurum prudentem, non rabulam confidentem & contentiosum. Hoc laudo proboque, Te per omne scriptorum genus vagantem hæctenus eam curam & cogitationem nunquam

quam deseruisse, quin decerperes & delibares ex
eorum unoquoque quod ad Jurisprudentiam ex-
poliendam & exornandam accommodatum esset.
Nosti, quàm turpe habeatur, diu in Academiis
manere, & inanem redire. Enitere & cura,
quod jam egregiè prestas, ut quam vera gloria
viam ingressus es, per eam celeri cursu eodem
pergas. Sic brevi ad ea, quibus jam, bonis o-
mnibus mirificè faventibus, ac latantibus, appro-
pinquas, Studiorum premia pervenies. De
cetero me ad honestissima quaque ducem
semper fidelissimum experiere.

Vale d. IV. Id. August.

M. DC. LXXX.



1751





155 170


AB: 155 170

(X2618374)

17 17








DISP





28.

DISSERTATIO
DE
JURE FERETRI

Sive
CRUENTATIONIS

Vom
Baar Rechte /

Quam
PRAESIDE
PETRO MÜLLERO,

U. J. D. & Prof. Publ.
*Publico eruditorum examini subiecit
ad diem Augusti 1689.*

CHRISTIANUS CONR. OELSNER,
Martisb. Philos. Mag.

Recusa JENÆ, Literis Müllerianis, 1688.

